quorum apud PSEUDOPLUTARCHUM magna copia, ostendere quam parum conveniant aetati et moribus ISOCRATIS, sed fortasse iusto longior iam fui. Manum igitur de tabula.

Noorthei, m. Aprilis, 1855. T. J. HALBERTSMA.

CONIECTANEA.

MACROBIUS in Libro I. c. 16 disputans de Nundinarum origine ex RUTILII testimonio scribit rusticos intermisso rure nundinis ad mercatum legesque accipiendas *Romam* venire, unde etiam morem tractum, ut leges trinundino die promulgarentur. »Sed »haec omnia," pergit MACROBIUS, »negligentius haberi coepta »et post abolita postquam *in ternundino* etiam ob multitudinem »plebis frequentes adesse coeperunt." Illud *in ternundino*, ne Latinum quidem est, ideoque quidam scripserunt *in trinundino*, quod vel peius est, quia sic vestigia verae lectionis magis obliterantur; legendum enim arbitror, literis aliter divisis, *inter nundina*, cui correctioni nihil opus est addere.

In *Vita Tiberii* ultimo capite SUETONIUS de eius testamento scribit. »Dedit et legata plerisque, inter quos *virginibus Vesta-»libus*, *sed et* militibus universis plebique Romanae viritim, at-»que etiam separatim vicorum magistris," in quibus duo sunt quae offendunt. Unum, quod nihil est, cui opponatur illud *sed et universis*, nam ut haec vocabula recte ponantur requiritur, ut primum sermo fuerit de peculiari quodam genere militum. Senserunt hanc difficultatem quidam librarii, qui suo Marte pro *sed et* scripserunt *ac*, et sic locum corruptum etiam magis corruperunt. Vitium enim non latet in *sed et*, sed in vocabulis *virginibus Vestalibus*, in quibus alterum illud me offendit, quod nunc dicam. DIO CASSIUS scilicet in Libro LIX. c. 2 narrat Caligulam per Senatum rescidisse quidem testamentum Tiberii, sed tamen quibus Tiberius aliquid legasset, omnia persolvisse,